

3

33

38

39

3

3,

38



173
177,46.
**DE ARBITRIS HONORARIIS
AD HISTORIAM IVRIS CIVILIS
ILLVSTRANDAM DISSERTATIO**

ILLVSTRIS I. CTORUM ORDINIS AVCTORITATE

15

P R A E S I D E

D. IOHANNE THEOPHILO SEGERO

EIVSDEM ORDINIS ET SUPREMAE IN PROVINCIA CVRIAIE
ASSESSORE ATQVE ANTECESSORE

AD DISCEPTANDVM PROPOSITA

AB AVCTORE

GODOFREDO LEBERECHT DIETZE

MILDENAV. MISNICO

A. D. XIV. APRIL. A. C. N. CIOIOGGLXXVII

L I P S I A E

EX OFFICINA BVSCHELIA.

DE AFRICIS I DOMINARIIS
AD HISTORIAM VARS GALIAS

LIBERTATIBUS DISSEMINATA

ETIZIANI ET CLOVI AVROPLATIA

D. IOHANNES THEOPHILUS SEFFER

REGIAE IMPERIALE MUNIMENTA VINDICO

ET LIBERTATIBUS DISSEMINATIS

ET LIBERTATIBUS DISSEMINATIS

ET LIBERTATIBUS DISSEMINATIS

COPPIRENTUR ET PREDICENTUR

ET LIBERTATIBUS DISSEMINATIS

ET LIBERTATIBUS DISSEMINATIS

ET LIBERTATIBUS DISSEMINATIS

ET LIBERTATIBUS DISSEMINATIS

Verum arbitrorum apud Romanos historia digna esset, quae se-
paratim traderetur, aut ab aliis ita exposita ut non nihil ope-
ra nostra addi posset, diu multum que dubitau. Etenim
memoratu indigna aut ante nos iam satis exposita iterum enarrare,
fastidiosum; euoluere vero antiquissimas arbitrorum origines eorum
que progressus curiosius inuestigare supra modum ingenii et aetatis
nostrae difficile videbatur. Cum tamen nonnulla inuenirem, quae
ad istam rem illustrandam facere viderentur, nec nimis essent ab aliis
occupata, constitui paruo libello ea colligere atque in academicae di-
sputationis vsum proponere, experiundi magis consilio, quid alii de
nostra diligentia iudicent, quam spe reportandae laudis, nedum accu-
ratoris scientiae melioris que doctrinae vana fiducia. Nam bene
gnari sumus nostrae conditionis virium que tenuitatis. Si quos vero
errores commisimus, eorum facile veniam impetrabit iuuenilis haec
aetas, quamvis diligentissime cauerit, in peccata tamen fere proclivis,

§. II.

Arbitrii verbum, cuius notio ante constituenda est, quam ad historiam accedamus, et I. Cts et scriptoribus aliis admodum vulgare est. Quicquid enim in potestate hominis est atque ab eius libera voluntate dirigitur, a) ipsa intelligendi vis b) et bonum appetendi malumque auersandi facultas arbitrio continetur. In vniuersum liberam agendi potest.

a) Cic. Parad. V. c. I. pro Muc. c. IX. b) Plin. Hist. Nat. Libr. VI. c. XXXIV.
Sueton. Caes. c. 9. Cic. Epist. ad Fann. L. XI. Ep. 20.

A

11

potestatem Cicero et alii hoc verbo complectuntur. Ita Cicero: *c*) non
mei solum, sed et patriae funeris arbitria abstulisti. Nec est quod
dubitemus, idem verbum de vestigali, quod pro funere ducendo sol-
lebat, adhiberi, cum Cicero alibi dicat: *d*) cum tibi arbitria fu-
neris soluebantur. Inde quoque factum esse videtur, ut *ii*, quorum
voluntati atque iudicio alii litis decisionem negotiue directionem
committerent, arbitri sint appellati. Apud Gellium quidem *e*) Pontifices,
in arrogationibus adhibiti, qui cognoscerent, num sacra arrogati
perirent, an adessent, ad quos possent transferri, et apud Horatium, *f*)
qui conuiuo praeesserent, legesque bibendi ferrent, arbitri vocantur.
Flacco scilicet arbiter est, quem Plautus strategum vocat, quique, ut
ex aliis Horatii locis patet, talorum iactu ex conuiuis sumebatur, *g*)
totius conuiuii quasi dominus et magister. Apud Liuium vero legi-
tur: *h*) Senatum censuisse, rem operosam (Censuram nimirum) suo
proprio magistratu egere, cui arbitrium formulae censendi subiucere-
tur. Quum vero censendi statuendique facultas singulorum omnium
ve voluntati ita conferretur, ut, quod alteri videretur, id ipsi omnes,
tanquam placitum suum, seruarent, arbitrii verbum adeo ad leges fe-
rendi potestatem translatum est. Principis quidem imperium Sena-
tus que auctoritas eo nomine venit. Suetonius enim: *i*) ius, inquit,
arbitriumque omnium rerum Caio permisum est. Idem alibi arbitrium
orbis terrarum ex interpretatione portenti commemorat *k*). Plautus
vero potestatem in deditios, Imperatoris Populique voluntati ac libi-
dini quasi subiectos, arbitratum appellat: *l*)

Dedunt

c) In Orat in L. Pis. c. IX. cf. Horat.
Serm. II. Sat. v. 105 vbi est sepulcrum
arbitrio commissum. *l. ii. ff.* de condit. et
demonstr.

d) In Orat. post Red. in Sen. c. XVII.
cf. Manut. ad h. locum in Graev. Edit. et
Drackenborth ad Liv. L. II. c. 9.

e) L. V. c. XII.

f) Od. II. VII. 25.

g) cf. de talorum iactu et de legum
conuiuiorum ratione, itemque de nomi-
nandis intra bibendum amicis Lipsi. Ant.
Lect. L. III. et Pictici Lexic. Antiquit.
Rom. sub voce Arbitr.

h) L. IV. c. 8.

i) In Caio c. XIV.

k) In Caes. c. VII. cf. Tacit. Hist. L. *x*
c. I.

l) In Amphitr. A. I. Sc. I. v. 102.

Dedunt se, diuina humanaque omnia, vr̄bem et liberos

In ditionem atque arbitratum Thebano populo. m)

Liuuius eandem iudicium atque arbitrium vocat, n) et alio loco; o)
 Aetoli, inquit, permisso libero arbitrio, ne in corpora saeuiretut, me-
 tuebant. Igitur, vt est apud Senecam, p) etiam clementia liberum
 arbitrium habet, et ex bono et aequo iudicat, et absoluere illi licet et,
 quanti vult, taxare item. De Senatus vero auctoritate eiusque con-
 fultis diserte arbitrii verbum adhibent Cicero q) et Suetonius r). Apud
 Liuuium quoque obuenit: Obsides quadraginta arbitratu consulis dato s).
 Denique omne ius et potestas agendi exercendi que negotium a po-
 pulo vel magistratu data, arbitrium est. Quo sensu apud Liuuium le-
 gitur arbitrium salis vendendi t). Etiam qui testimonium ferunt, qui-
 que negotio cuidam intersunt, Sallustio arbitri vocantur. Rationem
 huius denominationis Cicero in Lucullo reddidit: maiores nostri, in-
 quiens, voluerunt, vt, qui testimonium diceret, arbitrari se diceret
 etiam id, quod ipse vidisset. Idem alio loco: u) primum illud ver-
 bum consideratissimum nostrae consuetudinis arbitrator, quo nos etiam
 tunc vtimur, cum ea dicimus iurati, quae ipsi vidimus, quae comperta
 habemus x). Eandem in sententiam id legitur in L. I. C. Th. de Do-
 nat. vbi Imperator: advocata, inquit, vicinitate, omnibusque arbitris
 adhibitis, quorum postea fide probabitur donatam esse rem. Apud
 Plautum quoque in Trinummo est:

A 2

Cir.

m) Arbitratus hic idem denotat atque
 arbitrium, vt ex Liuii L. XXXIV. c. 57 et
 L. XXXVII. c. 11. intelligitur.

n) L. XXXIV. c. 57.

o) L. XXXVII. c. 7.

p) L. II. c. 7. de Clem. cf. Liv. L. XLV.

cap. 4.

q) In Epist. ad Fam. L. VIII. Ep. VIII.

r) In Aug. c. 31.

s) L. XXXVIII. c. 11.

t) L. II. c. 9. cf. Drackenb. ad h. lo-
 cum et Lipsi Epist. Quæst. L. V. Ep. XVI.
 Cic. in Orat. pro domo c. XXXVII.
 ibique Manut.

u) Pro Font. c. IX.

x) cf. Sigan. de Iudic. Rom. L. II. c.
 XV. et Polleti Hist. Fori Rom. L. IV. c.
 XIII.

Circumspice,

Dumne quis adsit arbiter nobis —
et apud Horatium:

Auribus meis non infideles arbitrae
Nox et Diana.

Quin apud Liuium milites, quod intererant aciei eorumque
in arbitrio quasi et potestate erat victoria, arbitri vocantur *y*). Alibi
vero idem ille: milites, inquit, sine arbitro agunt, i. e. sine Imperatore
aut Praetore. Sic Ciceroni loca ab arbitrī remota *z*) sunt loca, vbi
nemo videat, quid agatur.

§. III.

Quandoquidem arbiter est, qui rem pro voluntate administrat
ac, quod fiat aut non fiat, constituit normamue praescribit, ad quam alii
actiones suas dirigere teneantur, ideo etiam in iure sub arbitri verbo
quisque rei possessio ac dominus venire videtur *a*). Nec dubium est,
quoniam eadem ex causa cuiuscunq; generis iudices arbitri vocentur. Di-
ferte Praetores datique iudices apud probos atque idoneos autores
arbitri appellantur eorumque iudicium arbitrii nomine elegantissime
insignitur. Generatim enim, ut Festus dicit, *b*) arbiter est, qui totius
rei arbitrium habet ac potestate. Quamuis igitur, qui pronuntiat,
quid iustum aequumque sit, iure appellari possit arbiter, tamen Romanis
duo in primis iudicium genera hoc nomine veniunt. Alius enim arbiter
a praetore datus, cum bona fide aut arbitraria actio inst. tuta esset; aliis
a partibus sumtus, qui iudicis loco sententia sua, quae laudum hodie vo-
catur, item definiret *c*). Nec minus is, quem Praetor vel iudex consti-
tuit, ut de iis, quae iudicium antecedunt, cognoscat, arbiter appellatur.
Ita qui fideiussores probet, *d*) arbiter vocatur. Inter hos vero, quos Prae-

tor

g) L. XXVI^o. c. XXVIII.

b) sib v. arbiter.

x) Verr. V. 31. cf. Liv. L. 1. c. XXVI.

c) L. 14. pr. C. de iud. L. 13. §. 2. P.

a) L. 21. C. mand.

de rec. arb

d) L. 9. ff. qui fatisd. cog.

77

ter dabat, e) notissimi, qui, vt dixi, in bonae fidei atque arbitriis actionibus causam cognoscebat, quidque sibi aequius et melius videatur, pronunciabant. f) Formulas, quibus dabantur a Praetore, tres quidem Cicero g) aliisque commemorant. h) Hisce vero formulis libera potestas dabatur, vt ex Senecae verbis patet. Is enim: Arbitri, inquit, est nullis vinculis, i.e. formulis, adstricta religio: detrahere aliquid potest et adiicere et sententiam, non prout lex et iustitia suadet, sed prout humanitas et misericordia impellit, regere potest. i) Hic tamen ab eo, quem partes sumunt, maxime differt, primum, quod illum actor procat k) a Praetore. Is vero, si reus eum probasset, praetor que postulatum dedisset, conuenire dicebatur. Quod si non conueniebat, hac fere formula reiiciebatur: Eiero, quem tulisti, iniquus es. l) Decinde si partes in eum consenserunt, datus arbiter officio publico fungebatur, quod a magistratu iuris dicundi constitutus erat, eiusque sententia in rem iudicatam ibat, m) sed et suspendi ab eaque prouocari poterat. Arbiter vero sumitus, nec solenni formula postulabatur, nec dabatur, sed ei, partium pacto stipulatione ue intercedente, dubiae causae notio ita conferebatur, vt eam priuatum haberet, et controuersiae finem sententia sua imponeret. n) Itaque nec officio publico fungebatur, nec ab eius sententia poterat prouocari, nec ea vim rei iudicatae lapsu temporis consequebatur. Neque etiam Romano iure arbitrium item sic finit, vt transactio et ius iutandum, sed facit tantum ad item finiendum. Sententia quidem ex compromissio lata plerumque his finitur et in transactionem deducitur, non tamen propter auctoritatem sententiae

A 3

tentiae

e) Exemplo sit Gellius, qui se iudicem datum refert in Noct Att. L. XIV. c. 2. cf. Senec. de benef. III. c. 7. et l. 46. iuncta l. 50. ff. de iudic.

h) Noodr. de Jurisdict. L. I. c. XIII.

i) De Benef. l. 7. cf. quoque L. III. c. 7.

k) Festus v. Procum, et Raevard. in Protrub. c. XI.

f) V. Noodr. de Jurisdict. L. I. c. XIII.

l) Cic. de Orat. II. 70. cf. omnino Briffon, de Form. p. 368: seq. et Sigan.

g) Cic. Top. XVIII: pro Rosc. Com. c. IV. V. Offic. L. III. c. 15 cf. Sigan.

de iudic. L. I. c. 24 Plin. Panegyr. c. 36.

ī) iud. Rom. 23. Briffon. de Form. p. 368. B.

Heinecc. in Antiquit. Rom. L. IV. Tit. VI.

§. XXXVI.

cf. quae Gellius de se refert in Noct. Att. L. XIV. c. 2.

n) L. 13. §. 2. ff. de rec. arb.

tentiae ab arbitro latae, sed ob poenae in compromisso additae metum, quam solui necesse est, si sententiae non paretur. o) Romanis enim, ut Cicero et Liuus multis in locis tradunt, p) duae iuris experienti viae erant, una quidem in iure, altera inter priuatos parietes. q) Illa vtebantur, si causa non nisi Praetoris auctoritate poterat componi; hac vero in primis, si inter amicos vicinosue iurgium esset, vbi aduocato amicorum consilio, p) rurisloque ipsis arbitrio, vel agendi modus constueretur, vel, si fieri posset, causa componeretur. r) Ita Cicero placuit, inquit, de amicorum sententia constituere, quo die in rem praesentem veniretur et de fundo moribus deductio fieret. s) Boni vero viri et a forensibus molestiis alieni factitare solebant, vt, si quid cum alio controuersum esset, viderent, an adhibitis amicis, antequam in ius iretur, causa posset componi. Quod si haud componi poterat, ad Praetorem agebatur. Exemplo sit causa Quintiana, in qua, antequam res in vadimonium esset, arbitri sumebantur, qui constituerent, an alter alterum in societate defraudatus esset, quidque socii sibi inuidem deberent. Sic est aquid Ciceronem: t) appellat ultro Naevium, vt, quoniam suspicaretur, aliqua de re fore controuersiam, videret, vt quam primum et quam minima cum molestia tota res transigeretur. Dat iste M. Trebellium, (arbitrum scilicet) nos communem necessarium. — Res nullo modo conuenire poterat. Itaque ex eo tempore res esse in vadimonium coepit. Qui igitur ante, quam in ius iretur, domi adhibebantur, vt causam audirent atque cognoscerent, arbitri sunt dicti. Sed et horum, vt Proculus docet, u) duo genera erant, unum eiusmodi, vt eorum sententiae, siue aequa, siue iniqua esset, poenae

o) L. 11. §. 2. ff. de rec. arb. cf. ad h.
1. Noodt. in Comment. ad ff. et Ant. Fab.
in Rational. ad ff.

p) Liv. I. IV. c. 9. ad quem locum conserendum Duckerus.

q) Pro Quint. c. XI.

r) Exemplo sint arbitri, de quibus Suet. in Othono c. 4. cf. quoque Cic. Off. I. I. c. 15. et Liv. L. I. c. 50.

s) Pro Caec. c. VII.

t) Pro Quintio c. V. sq. ibique Hottom. et Manut.

u) L. 76. ff. pro Socie.

poenae metu, pareretur: quod obseruatum, vbi ex compromisso ad arbitrum item est; alterum vero, si conueniebat inter partes, vt adhiberent amicum, qui aestimaret rem, conciliaretue partes, causamue transigi curaret. ^{x)} Hi in specie arbitratores et aestimatores, proxenetae, pacificatores ^{y)} et intermedii; illi vero arbitri, disceptatores, iudices honorarii, vtrorumque officium opera honoraria, ^{z)} dici videntur. Arbitrorum vero admodum diversa ratio erat, quae, cum insti-tuti nostri sit, eorum solum historiam tradere, merito aliis relinquenda et ad institutum nostrum propius accedendum esse videtur.

§. IV.

Arbitrorum sumptionem ex iure naturali esse dubitari non potest. Etenim naturale est rationi que conueniens, omnia prius tentare, quam armis decernere. Exortis igitur litibus, quod in primis, in prie-ma maiorum simplicitate, de finibus agrorum fieri solebat, qui nullum communem iudicem habebant, adhibuisse videntur amicos, qui interessent mutuis sermonibus et partes admonerent, quam viam ini-rent, quoque modo rem dubiam redderent certam. Atque haec ratio cum admodum placeret, quod quisque sic sine vi suum conseque-batur, sensim ventium moribus aucta, eique, quem iuriis aequitatisue peritum atque amicum habebant, potestas conuentione partium data videtur, vt causam audiret et cognitam, ex aequo et bono definiret. Nec est, quod dubitemus, hanc arbitrii rationem ante ortas ciuitates solennem litis finienda modum fuisse, quod et humanius erat, verbis, quam vi, experiri, et quod a litigantibus ipsis lis decisa videbatur, cum arbitrii sponte a partibus sumti statuebant, quod iustum videretur, cau-samque decernebant. Quam ob rem, vt opinor, admodum placuit

haec

^{x)} Quid distet arbiter et arbitrator, op-time Vlp. docet in l. 13. §. 2. de recept. ubi arbitrum cum illo comparat. cf. l. 17. eod.

^{y)} Gell. Noct. Att. L. XIV. c. II.

^{z)} Cic. pro Caec. c. II.

^{a)} Grot. de iure R. et P. in Proleg. p. 10. et L. III. c. XX. XLVII. 2.

haec iudicij ratio societatibus, quas infimi quique inibant, ne a validioribus opprimerentur. b) Quanquam enim viribus tenues coibant, et sua quisque in commune conferebant, non deerant tamen, qui iura aliorum vocarent in dubium sibique non nihil alieni arrogarent. c) Quo minus hoc fieret, delata est, vni alterie ex sociis causae dubiae notio et item componendi otiumque reddendi potestas. d) Quae notio, cum potestate et vi exsequendi sententiam destituta esset, et magis consilio iuaret litigatores, quam iudicio, nedum imperio, regeret, arbitrii nomine venit. Vnde facile est ad intelligendum, quam facile haec iudicandi ratio diuersas inter societas et postea inter gentes nulli in terris iudici obnoxias obtinuerit. Quemadmodum enim in ciuitate etiam optime constituta plerique lites auersantur nolunt que causas suas ad iudicem deferri et quasi legitima vi componi; sic saepe boni Principes, quo minus tot hominum vita ciuiumque omnium salus in dubio bello periclitaretur, vel militaris aeuī barbarie, quo omnia in se licere creditum est, certamen singulare subierunt, e) vel meliori ratione omnem operam impenderunt, vt arbitrorum iudicio ciuium vitae et facultatibus subueniretur. Quod consilium Athenienses et Megarenses f) Dorii reliquiae Graeciae populi g) secuti sunt. Nec Romanis aliisque gentibus haec ratio incognita fuit. Constat enim, h) Seruum monuisse ac commouisse Latinos, vt, Graecorum ad exemplum, cum Romanis conuentus agerent, sacrificare in templo, in Dianaē honorem extremito, rite solutis, arbitros constituerent, qui dissensu rixasque obortas inquirerent tollerentque radicitus. Nec desunt exempla, quae doceant, exteras gentes in reges populumque romanum arbitrorum partes trans-

b) Grot. L. II. C. II. I. 2. 2.

rent, sine magna clade, sine multo sanguine utriusque populi posset.

d) Grot. L. II. C. XXIII. VII.

f) Plut. in Solone.

e) Cuius rei illustre exemplum apud Liv. L. I. c. 23. itemque LXXVIII. c. 21. extat, ubi Mettius Tullium sic alloquitur: ineamus aliquam viam, qua ytri ytris impe-

g) Dion. Hal. L. IV. c. 170.

h) Liv. L. I. c. 45. et Dion. L. IV. c. 171.

transtulisse. Numam quidem, quem Liuius, *l)* omnis diuini atque humani iuris consultissimum virum appellat, omnes nationes adeo communiter demiratae sunt, *m)* ut eum arbitrum in causis priuatis ac publicis quaerendum existimarent. *n)* Senatus vero ac populo commissas exterorum contiouersias multis in locis reperimus. *o)* Ita inter populum Carthaginensem et Regem Masinissam Romani in re praesenti disceptatores de agro fuerunt. *p)* Interdum Romani populi cum exteri lites a communibus sociis iudicatae. Quos vero priuatis in causis arbitros sumserint Romani, et quam eorum sententiae pro diuersa temporum ratione habuerint vim, sequentibus exponetur.

§. V

Inter alia instituta, quae Numae debentur, praeclarum is sapientiae documentum dedit, quod leges tulit, quae et Romanos humaniores redderent, et rationem boni et aequi in rudi populo confirmarent. Iurum quidem aequalitas, quae in omni lege proposita est, nulla ratione facilius obtineri videtur, quam partibus ipsis potestate facta, ut quem velint iudicem, sibi sumant, quem nolint, reiiciant. Recte Plinius: *q)* summum, inquit, quisque causae suae iudicem facit, quemcunque eligit. Quae cum ita sint, non mirum est, sapientissimum Regem de arbitris eorumque officio cauisse. Legis quidem verba, quae procul dubio Numae sunt, apud Festum *r)* ita se habent: Quid horum fuit vnum iudici, arbitroue, reoue, eo die dissensus esto. Vtrum haec lex, seu paanticula legis, a Numa lata sit, an in XII tabulis primum extiterit, ut Scaliger *s)* visum, dubitatur. Alii vero anquirunt, quid hoc loco arbiter sit, plerisque existimantibus, Numam non de arbitrio

l) L. I. c. 18 cf quoque de eius iustitia Cic. de Orat. L. III. c. 51. et Dionys. L. II. c. 10. et 100.

m) Plutarch. in Num.

n) Plutarch. in Num. et Dion. Hal. L. II. c. 101.

o) Grot. Iur. Belli et Pacis L. II. c. XXII. §. IX.

p) Liv. L. X. c. 17. cf. quoque L.

XXXV. c. 45. et L. XXXVIII. c. 32;

q) in Praefat. Nat. Hist. p. 3. edit. Hard.

r) Sub voce Reus.

s) v. Merulam de Leg. Rom. ad h. legem.

B

tro a partibus sumto, sed de eo, quem Praetor dat, loqui. At vero, quod istam dubitationem attinet, nolim a Scaligero negari, legem hanc non Numa, sed Decemviorum esse, imbecilla hac ratione, quod forsan in Festo particula Nam extiterit, quae deinde librariorum errore in Numa commutari potuerit, eadem vero lex, quae Numa esse dicatur, iisdem verbis in XII. Tabulis exet. Cognitum enim est omnibusque perspectum, leges regias maximam partem in XII. Tabulis restitutas et omnes paene ad verbum seruatas esse:^{t)} id quo Iac. Godofredus ^{u)} atque alii praeclari auctores quam plurimis exemplis illustrarunt. Quidni igitur er haec in XII. Tabulas translata sit? ^{v)} Et cur apud Festum particulam Nam pro nomine Regis substituamus, quem tamen veteres de aliis quoque, quae ad iudicium pertinent, cavisse commemorant? Plutarchus ^{y)} enim et Liuius ^{z)} diserte tradunt, cum alias dies fastos, alias nefastos constituisse. Immo vero Plutarchus ait: eum non nihil de vadimonio edixisse. Quidni igitur patiemur, ut Festus scripserit, Numam edixisse de vadimonio differendo? Ex ipsis quidem verbis, quid horum fuat unum, satis abundeque patet, antecessisse alia, quae causas iudicium differendi complectentur. Quanquam vero de his nihil certi habemus, ad veritatem tamen proxime accedit, regem de diebus feriatis, votis, aliisque iustis vadimonium differendi causis, quae in Lege XII. Tabularum quoque extant, cauisse, cum leges de diebus festis, et de religione in uniuersum, tam diligenter tulerit. Verbum Numa vero, ut Vrsinus obseruat, ^{a)} in Festi vetustissimo exemplari extat, quo minus adhuc dubitari potest, nihil mutantum legemque ab ipso Numa latam esse. Consentit nobiscum Iac. Godofredus ^{b)} atque ex ipsis Festi verbis obseruat, ^{c)} leges regias, non solum tanquam mores, verum etiam regiarum nomine in ipsis XII. Tabu-

^{t)} Dion. Hal. L. II. c. X.

^{u)} Hist. XII. Tabul. Cap. IV. §. 4. in Ott. Thef. t. III. p. 63. et 64.

^{v)} v. Merulam et Vrsini Nor. ap. Ant. Augustin. de Leg. Rom. ad h. L. ^{y)} in Numa ^{z)} Liv. L. I. c. 19.

^{a)} In Notis ad Ant. August. Libr. de Leg. in Meerm. Thef. t. II.

^{b)} In Notis ad Tabulam II. in Otton. Thef. t. III. p. 161.

^{c)} In Hist. XII. Tabl. c. IV. §. 4. l. I. p. 64.

Tabulis seruatas et Regum nomina addita fuisse, quo intelligeretur, cui lex deberetur. Magis etiam ex verbis, quae apud Festum extant, patere videtur, particulam Nam in Festo non exitisse et omnino Numa legendum esse. Cum enim Festus ex Aelii Galli auctoritate doceret, Rei vocabulo et actorem et eum, cum quo agitur, significari, addit: at Ateius Capito in eadem quidem opinione est. Sed exemplo adiuuat opinionem. Nunc exemplum, quod Ateius Capito dedisse videtur, his verbis sequitur: Numa in secunda tabula, secunda lege, in qua scriptum est, quid horum fuat. Ex qua verborum coniunctione apparere videtur, Capitonem alterius auctoritate niti voluisse, ideoque Numam laudasse, qui ex sua opinione verbo Reus ita usus esset in secunda tabula, secunda lege: Quid horum fuat unum iudici, arbitroue, reoue, eo die diffensus esto. Particula vero Nam, quam auctoritatem praestet, quamque legem tulerit, in qua extiterit verbum Reus, mihi non constat. Ceterum ex iis, quae in XII. Tabulis verba quid horum fuat antecedunt, Vrsini sententia ad hanc legem proposita ^{a)} vix deduci posse videtur. Vrsinus enim existimat: non legendum esse, quid horum fuat unum, sed pro Vnum Vition, quod morbum sotnicum denotet. Verum ex verbis quid horum fuat facile intelligitur, causas in antecedentibus positas fuisse, quibus iudicij diem differre licet. Quin si coniicere licet, ea, quae in XI. Tabulis ^{e)} extant, votum, morbus sotnicus, caetera etiam in lege Numae exitissim videntur. Quod quidem si sumimus, verba quid horum fuat unum, quae Numae esse Festus dicit, et integrum sensum admittunt et melius, ut mihi videtur, intelligi possunt, quam si Vnum in Vitione commutemus.

§. VI

Non magis se probare videtur eorum sententia, qui arbitrum, de quo in illa Numae lege sermo est, non a partibus sumtum, sed eum esse aiunt, quem in iure seu a Praetore datum ^{f)} vocamus. Hanc

B 2 senten-

^{a)} In Not. laud.

^{e)} Tabul. II.

^{f)} Gellius Noct. Att. XX. c. I.

sententiam vir incomparabilis Noodtius fouet, *h)* existimans bonaे fidei causarum iudices, qui XII. Tabularum interpretationi originem debent, iam ista lege inualuisse: quo ipso negat, Numam de iudice honorario seu compromissario ea lege statuere voluisse. Nititur vero Vlpiani *i)* verbis dicentis iudices et arbitros moribus originem debere, quos mores ibi significare putat leges regias tanquam mores seruatas, et quibusdam Dionysii locis, perperam, vt mihi videtur, explicatis. Videri quidem posset pedaneum hac lege esse intelligendum, tum propter ea, quae adiecta sunt: dies iudicij dississus esto, quae verba in regula non nisi de pedaneo iudice leguntur, tum quod aliis in locis, si arbiter cum iudice pedaneo coniunctas venit, uterque iniure datus habetur. At vero verba, iudicij dies dississus esto, quin de arbitris sumitis adhiberi possint, non dubito. Suscipiunt enim hi iudicis partes, *k)* constituant adeoque etiam differunt, vt index, arbitrii diem, ceu ex multis Digestorum locis luculententer patet. Sane vt ob coniunctionem cum iudice arbitrum quoque in iure a magistratu datum intelligi ea lege existimeam, nulla ratione adduci possum. Sed sumam, ex hac coniunctione aliquid elici posse, tamen illius temporis index, de quo in hac lege sermo est, non denotare videtur eum, quem postea Praetor in stricti iuris causis dedit, sed quemque, qui ius dicit et iudicij praefest, hac lege iudicem dici putamus. Ita enim illo tempore Reges et postea Consules et Praetores vocati. Accedit, quod sub Regum imperio iudices arbitrijque dati plane non inueniantur. *l)* Itaque ne verosimile quidem est, in illa lege arbitrum pro in iure dato ponи. Deinde quod mori maiorum Vlpianus *m)* iudicium arbitrorumque dationem tribuit, ideo non putarim, eam iam sub Regum imperio inualuisse, in illaque lege Numam de arbitro judiciali, non de compromissario, agere; cum satis notum sit, non tantum Leges Regias *n)* sed ius etiam I. Ctorum interpretatione rebusque iudicatis

h) de iurisd L. I. c. VI.
i) l. 12. § 2. ff. de iudic.
k) L. 13. §. 2. ff. de rec. arb.

l) v. §. seq.
m) l. 12. § 2. ff. de iudic.
n) Dionys. Hal. L. II. c. 68. sq.

tis introductum moribus contineri. Ita Vlpianus substitutionem pupillarem ait moribus introductam esse, o) vbi mores non sunt Leges Regiae more maiorum seruatae, sed ius, quod ex interpretatione XII tabularum venit. Et ita quoque interpretanda sunt Vlpiani verba, more intuluisse, iudices a magistratibus dari. Evidem ante illud a patriciis inuentum discrimin bonae fidei stricti que iuris negotiorum praeter eos, quos nominatim dari lex XII. tabularum iusserat, alios etiam arbitros in iure aut omnino ante latas leges decemvirales iudices a magistris datos esse admodum dubito. Sed alia ratione adversus Noodium utar. Vlpianus diserte refert, aliis hanc judicem dandi potestatem lege, aliis Senatus consulto, aliis more concessam esse propter vim imperii, sicut Praefecto vrbi caeterisque Romae magistratibus. Quibus ex verbis luculenter appet, quod hic tribuitur moribus, id non esse ex legibus regiis pro more seruatis, sed mores hic dici ius, quod prudentum auctoritate et vsu introductum sit. Nam ii profecto magistratus, quibus more data esse ea iudices dandi potestas scribitur, Regum temporibus nondum omnes constituti fuerunt.

§. vii VII

Alterum Noodii argumentum p) a quibusdam Dionysii locis ducitur, quibus Numiae legem de arbitris datis egisse arbitrosque a regibus datos esse persuadere conatur. Ante vero, quam ad ea Dionysii loca accedam, liceat omnem meam sententiam de origine arbitrorum datorum exponere. Constat arbitros in causis lege XII. Tabularum definitis, q) in primis vero in bonae fidei negotiis a praetore datos fuisse. r) Fecit enim causarum multitudo, rerumque copia, ut Consules et postea Praetores aliis bonis viris vterentur, quibus causae notionem et iudicandi arbitrandique potestatem conferrent. Priscis

B 3

vero

o) I. 8. ff. de his qui sunt filii et al. et q) Ut in Famil. Ercisc. et in Fin. Reg. L. 1. ff. de curat. furioso dandis. L. 2. iudicio. f. de vulg. et pupill. substit. sump (a eamori et modi vel i ob uniuersitate. p) In loco laudato. (r v. Supra §. III. (a) et ob uniuersitate.

vero temporibus, cum nec rerum tanta copia, nec ordo, qui in iudiciis obseruari deberet, sollicite definitus esset, sed omnia in Regum manu essent et horum pro arbitrio iudicarentur, nec arbitris nec iudicibus datis opus fuisse videtur. Plutarchus ^{f)} tradit, Numa non nisi amici et patris loco subditis fuisse et si quid incidisset, de quo contentio orta esset, partibus ad se vocatis, causam magis compoluisse, quam iudicasse. Deinde quicquid pro illorum temporum ratione in contentionem veniebat, id magnam partem ad sacra pertinebat, ideoque Pontificum auctoritati suberat, ^{t)} nec ad iudices arbitrosue datos amandabatur. Itaque non video, in quibus eo tempore causis arbiter datus sit. Porro arbitrorum ratio, vt supra docui, discriminem inter bonaे fidei strictique iuris causas ponit, quod tamen non nisi XII. Tabularum interpretatione inualuisse, adeoque haec demum diuersas iudicum arbitrorum que datorum partes et nomina fecisse videtur. Nam in legibus a Numa et Romulo latius ne verbum quidem de bonaе fidei strictique iuris contractibus, multo minus de causarum discriminē inuenitur. Dionysius ^{u)} enim et Liuius nihil, nisi hoc dicunt: alias causas grauiores, alias vero leuiores habitas esse. Nec ex Seruui legibus, quas de contractibus tulit, certus aliquis et idoneus auctor id discriminē repetiit. Ne vero quidem simile est, Seruium de hoc discriminē, quod patriciorum dominatiū originem debet, cogitauisse. Patriciū, cum non amplius Plebeiis resistere possent, ad Leges XII. Tabularum ferendas coacti, in id incumbebant, vt legum etiam ad ius aequum obtainendum latarum praesidio dominatum fuera et conseruarent et augerent. Quod consilium singulari in XII. lege ^{x)} inuentisque formulis in stricti iuris causis adhibendis consecuti sunt. Inde aliae causaе bonaе fidei, aliae vero stricti iuris esse cooperunt. Vnde tandem et iudices et arbitri extitere. At vero Seruius patribus et plebeiis ius reddidit, nec tum in patriciorum manibus iudicandi potestas ita fuit, vt ea potuissent abuti, sed vel Reges

^{f)} In Numa.

^{t)} Plur. in Numa et Liv. L. I. c. 10.
cf. Merulam de Leg. Rom. in Numae Legibus de Sacerdotibus.

^{u)} L. IV. c. 3.

^{x)} que his verbis prostat; vñ liga nuncupassis, ita ius esto.

Reges eam sibi vindicarunt, vel sedulo cauerunt, ne quid contra ius statueretur. Itaque nec illud causarum discrimen, nec iudicium arbitrorumque in iure datorum ratio antiquissimo tempore inualuisse videtur.

S. VIII

Nec Dionysii loca, quibus Noodtius ad opinionem suam firmandam usus est, sententiam meam de seuis Pompiliae legis remouent. Primum enim Dionysius diserte tradit y): Romulum omnis iuris omniumque litium curam egisse, de grauissimis delictis ipsum decreuisse, leuiores vero causas Senatoribus commisisse, prouidendo tamen, ne quid in iudiciis peccaretur. His ex verbis, prouidendo nimirum, ne quid in iudiciis peccaretur, Noodtius probare studet, Senatores formulis a Romulo praescriptis datos iudices esse; quaet tamen, si contextus temporumque ratione habita, explicantur, nihil aliud indicare videntur, quam quod Dionysius ipse in antecedentibus docuit, Romulum scilicet curasse, ne Senatores male iudicarent, ac causisse, ne a legibus latis moribusue recederent. Nullibi vero in Romuli et reliquorum Regum historia de formulis in iure dicendo adhibendis aut de iudicibus sub formula datis aliquid legitur, nec pro illorum temporum ratione et hominum fide, ut supra demonstrauimus, z) formulis opus fuit. Eandem deinde iudiciorum rationem rex Numa in causis publicis et priuatibus retinuit. Dionysius ait: a) quicquid legum ac consuetudinum a Romulo inde exiterit, id Numam accepisse ac servasse. Tarquinio Prisco regnante eadem instituta durauerunt. En verba Liuui: b) interim Tanaquil Seruio Tullio iubere populum dicto audi entem esse: Eum iura redditum obiturumque alia regis munia, Nec iudices et arbitros datos sub Seruio, qui rem iudicariam immutasse fertur, inuenimus. Is quidem Seruius Tullius, auctore Dionysio, c) dimidium de regia potestate detraxit. Priuatas iniurias a causis publicis separauit. Criminum se fecit iudicem, de priuatarum vero cau-

sarum

y) L. II. c. 64.

b) L. I. c. 41.

z) S. super.

a) L. II. c. 92.

c) L. IV. c. 2.

·farum querelis iudices constituit, quibus leges a se conditas ceu limites ac regulas praescripsit, quas in iudiciis sequerentur. Constituere vero iudices legesue praescribere, quibus iudices teneantur, non coincidit, vt Noodtius opinatur, cum formulis, quibus postea iudices, ne quid contra ius statuerent, adstringebantur, sed nihil aliud sibi velle videtur, quam Numam cauisse, ne lites protraherentur et ne contra leges a se et Romulo latas receptosue mores iudicaretur: quod procul dubio ex Dionysii verbis: quibus leges a se conditas ceu limites ac regulas praescripsit, elucet. Haud igitur putarim cum Noodtio, Numam Senatores formulis adstrinxisse iisque cauisse, ne contra leges iudicarent. Ne sub primis quidem Consulibus ille mos notionem facti siue iudicium a iurisdictione magistratum sciungendi atque in aliis causis iudices, in aliis arbitros dandi introductus esse videtur. Constat enim ex Dionysio, e) inter cetera Regum officia, quibus Consules fungebantur, etiam hoc fuisse, vt, quacunque de re lis orta esset inter ciues, Consules de iure responderent ac iudicarent. Ex laudatis igitur locis satis appetat, vel ipsos Reges ius dixisse et cognouisse, vel iudicandi potestate Senatoribus concessa cauisse tantum, ne Senatores a legibus scriptis receptisue moribus recederent et contra aequum et bonum iudicarent. Quae cum ita sint, quis dubitet legem Numae de arbitris honorariis egisse? Quis certe hanc sententiam non magis, quam opinionem Noodtii, probet?

§. IX.

Sed et arbitriorum exempla apud vetustos auctores obvia hunc sensum Pompiliae legis et honorariorum arbitrorum inter Romanos Regum temporibus usum nobis persuadent. Quanquam enim negare non ausim, sub Regum imperio hanc dirimendarum litium rationem non tam frequenter fuisse, quam liberae Reipublicae temporibus, quoniam priscae leges et mores in naturali simplicitate acquiescebat, nec actiones erant formulis includendae, ideoque nemini metuendum videbatur, ne vel ob formulam neglectam causa caderet, vel indi-

e) L. X. c. 463.

iudicium perfidia, quod ipsi iure debebatur, amitteret, f) tamen et Livius et Dionysius nonnulla exempla literis mandarunt, ex quibus, quomodo arbitri sumti sint, satis, nisi fallor, intelligi potest. Dionysius enim g) Tullium tradit monuisse Latinos, ut, quam primum id fieri posset, causam componerent magis, quam armis decertarent, arque eam litis finienda rationem commendasse, quae inter fratres cognatosve obtineret. Cuius insigne documentum est apud Livium, h) ubi Tarquinius disceptatorem ait se sumtum inter patrem et filium. Nam disceptator hoc loco arbitrum denotat. Quamvis enim disceptare sit partium, i) et idem saepe, ac disputare significet, tamen et Cicero et alii de iudice id verbum adhibuerunt. Ita Plautus: k).

Nunc utriusque disceptator adest:

Age, disputa.

Apud Ciceronem in primis saepius de rei sententiae moderatore, quam de partibus venit. Sic ille iuris disceptator, inquit, qui privata iudicet, iudicarive iubeat, Praetor esto l). Istam vero Tarquinii orationem sic capiendam esse, ut se arbitrum honorarium electum profiteri voluerit, verba, se sumtum inter patrem et filium curaque eos reconciliandi in gratiam moratum esse, satis manifestant. Nam solus arbiter honorarius sumitur, iudex postulari, procari, dari solet. Is quoque potissimum conciliare dicitur, qui libera partium voluntate item finit, cum Praetores ac magistratus ius dicant, iubent, iudices vero iudicare dicantur. Accedit, disceptatoris verbum apud Ciceronem et Ulpianum eodem sensu legi. Ille enim ait: m) omnia iudicia aut distrahendarum controversiarum aut puniendorum maleficiorum

f) Has enim causas esse statuo, cur Romani sub lib. republ. arbitris magis usi sunt.

g) L. IV. c. 171. cf. Liv. I. 1. c. 45.

h) L. I. c. 50. ibique Ducker et Dra-ckeßb.

i) Cic. pro Mil. c. IX.

k) Mostell. V. II. 16.

l) de Leg. III.

m) pro Caec. c. II, ibique Manut. et Hottomannus.

fiorum causa reperta sunt, quorum alterum levius est et saepe disceptatore doméstico diiudicatur. Apud Vlpianum autem scriptum est: *n*) qui eum quasi virum bonum disceptatorem elegerunt *o*). Ipse Livius eodem sensu Romanorum legatos disceptatorum loco fuisse dicit *p*), ut adeo extra dubium sit, Tarquinium loco laudato velle arbitri honorarii loco fuisse. *q*). Praeter ea in primis dignum est obseruat, hanc arbitrorum eligendorum rationem maxime inter cognatos et vicinos olim obtinuisse. Itaque Dionysius refert: Servium arbitri viam, quae inter cognatos obtineret, ante suassisse, quam causa inter Romanos et Latinos armis ageretur. Livius vero loco laud. diserte tradit inter patrem et filium Tarquinium sumtum se dixisse. Cicero etiam inter vicinos, quos lex XII. Tabul, affines appellat, atque inter socios, qui sibi fratum loco esse videbantur, arbitros sumtos commemorat *r*). Quae cum auctorum fide satis firmata sint, admodum verosimile est, hanc maxime ob causam ex XII Tab. lege in aliis causis arbitros, in aliis vero iudices dari debuisse. Cum enim contra officium esset, cognatos litigare et ad iudicem causam agere, ideoque inter cognatos vicinosque arbitri Regum tempore sumerentur atque ea litis componenda ratio digna videretur, quae recipetur ac servaretur, hanc ob rem Decemviri statuisse videntur, ut in iis causis, in quibus litigantes sibi fratum vicinorumve loco essent et in quibus antea plerumque arbitros sumissent, iidem etiam in posterum arbitris magis, quam iudicibus uterentur. Ne tamen iudicium magistratumque auctoritati quid detraheretur, vel quid contra leges sta-

tuere-

n) L. 3, §. 1. D. de receptis.*o*) cf. Ant. Faber, in Rational, ad l. 17.

§. 3. de arb. recept.

p) L. XXXIX. XXV. cf. quoque L. V.

IV. et VIII. XVIII.

q) cf. Cuiac, de disceptatoris verbo in paratit. Tit. P. de receptis.*r*) Pro Quinct. c. V. et in Offic. L. I.

c. 15. Cognati conqueri inter se dicebantur, vicini iurgare, non litigare, ut ex XII

tabul. verbis liquet: Si iurgant inter se affines, finibus regundis arbitros tres dato. Quod et Cicero confirmat, cum in L. IV. de Republ. ubi de XII Tab. loquitur, dicit. admiror non rerum solum, sed et verborum elegantiam. Iurgare enim lex XII tabul. putat inter se vicinos, non litigare. cf. l. 4. et 5. C. Th. Fin. reg. ubi est: finale iurgium.

tueretur, voluerunt, ut arbiter non solum a partibus eligeretur, verum etiam a magistratu daretur. Hac in primis ratione statutum esse opinor, ut in finium regundorum et familiae ericiscundae iudicio partes arbitrari uti juberentur. Sed totam hanc coniecturam iudicio doctorum virorum submitto.

§. X.

Cum vero, ut §. IV. docui, et a singulis et a societatibus, sive liberis, sive imperio civili subiectis, arbitri sumti sint, profecto dubitari non potest, quin iudices a sodalibus Romanis sumti arbitri fuerint. Sodales enim, qui maximam partem, in primis quod arvales et agrestes attinet, a Romulo et Numa instituti sunt^{s)} atque ut ex Plinio^{t)} et Caio^{u)} patet, varii generis fuerunt, tam leges, ^{x)} quam iudices^{y)} sibi constituebant, qui et sodales reconciliarent, et de agrorum finibus aliisve rebus communitatatem attinentibus iudicarent. Horum vero iudicium nihil aliud esse potuit, quam arbitrium. Nam a sodalibus, cum imperio destituti essent, nihil potuit praeter notiōnem deferri. Deinde ad veritatem proxime accedit Regibus exactis plebeios saepissime arbitrū usos esse. Cum enim plebeii, antequam ius omnibus aequum conderetur, Consulū iurisdictionem metuerent, suspicantes a patriciis in iure dicendo sibi iniuriam fieri, ideoque, Dionysio auctore, ^{z)} non raro iudicia differentur, non alia dirimendarum litium via patuisse videtur, quam arbitrium. Quem etiam inter patronos ac clientes solennem litis finienda modum fuisse opinor. Nam cum inter clientum officia et hoc referretur, ut

C 2

ne

^{s)} Dionys. L. I. c. 83. cf. B. de Wassenaeer ad tit. ff. de colleg. et corp. c. II. in Fellenberg. Iurisprud. Ant.

^{t)} Hist. Nat. L. XXXIV. c. 1. et L. XXXV.

c. 12. cf. Cuiac. Observ. L. XXI. c. 10.

^{u)} L. ult. P. de colleg. et corp. conf.

Brisson. Antiquit. Sel. L. I. c. XIV.

^{x)} Ut ex XII Tab. lege appetat, ubi cœetur: Sodales legem, quam volent, dum

ne quid ex publica corrumpant, sibi ferunto. Quid lex hoc loco sit, optime docet Iac. Godofr. ad h. legem p. 125. in Ott. Thes. t. III. p. 125. et Cic. de Leg. I. I.

^{y)} Qui et ipsi sodales arvales Cuiaci vocantur Observ. I. XI. c. V. et quos Plutarchus in Numa, ubi de lege terminali loquitur, inspectores vocasse videtur.

^{z)} L. IV. c. 476.

ne patronum sine permisso Praetoris in ius vocarent, ut qui patris loco esset, a) nulla dissensus inter illos tollendi ratio magis, quam arbitrium, convenisse videtur. Dionysius etiam tradit patronatus instituto omnes inter patres et plebeios controversias transactione vel aliis remediis civilibus compositas esse. Quae vero alia sint, praeter iudicium et transactionem, remedia, nisi arbitrium? Et haec quidem de arbitriis ante XII. Tab. reperi.

§. XI.

Inter ea, quae morum nomine servata atque in XII. tabulas translata dicuntur, legem Numae de arbitris iure meritoque iam retuli. Extant diserta eius verba inter eas leges, quae de re iudicaria latae sunt. Nec est, quod dubitemus, hanc XII. tabularum legem de arbitris a partibus summis agere, cum verba Vades — Vorum — Morbus sonticus — cum Numae verbis quid horum fuat etc. coniuncta sint. Eaedem enim causae locum habere possunt in die arbitrii differendo, quae locum habent in dilatione iudicii. Arbitris etiam votum et morbus sonticus et alia impedimento esse possunt, quo minus causam cognoscant et definiant. Nec iudex et arbiter, de quibus hac in lege sermo est, ii haberi possunt, quos Praetores postea in bonae fidei strictique iuris causis dederunt. Iudex quidem in illa lege iuris dicundi magistratus esse videtur. Ita enim apud Livium Decemviri et Consules vocantur. b) Idem nomen extat in lege consulari post Decemviro lata, quae apud Livium his verbis concepta est c): ut qui Tribunis Plebis, Aedilibus, Iudicibus, Decemviris nocuisset, eius caput Iovi facrum esset. Ego vero si quid video, in hac etiam lege a viris doctis varie explicata iudices non alii sunt, quam Consules. Constat enim ex laudatis Livii locis, Consules eius tempotis saepe iudices vocari. Quippe nomen a negotio, quod agebant, acceperunt: itaque si ius dicerent, iudices, si Senatum consulenter aut exercitu praefent

a) Gell. Noft. Att. V. c. XIII.
b) L. III. c. 44. 57 et 72.

c) L. III. c. 58.

fent, aliosque praeirent, Consules ac Praetores ^{d)} vocati sunt. Deinde rei gestae ratio, quam Livius ante hanc legem refert, me dubitare non finit, de Consulibus ibi sermonem esse. Nam cum Decemviri ab officio decedere coacti et veteres magistratus denuo instituti essent, omnino metuendum erat, ne Decemviri eorumque clientes magistratis denuo creatis nocerent, eosve, spe recuperandi imperium, e medio tollerent. Contra ea postquam Decemviri et inter eos in prius App. Claudius tam libidinose et nefarie ius dixerant, verendum videbatur, ne in furorem acta ac concitata plebs vi et tumultu in eos saeviret. Itaque Consules sapientissimo consilio tulerunt ad populum: ne quis iudicibus aut Decemviris noceret: qui nocuissest, Iovi facer esset. Et qui, quaeſo, praeter Consules potuissent hoc tempore iudices dici, cum soli Consules ius dixerint et causas cognoverint, ac ne unum quidem exemplum iudicum praeterquam in negotiis exceptis datorum proferri queat? Ergo verba legis decemviralis: iudici arbitro, de iuris dicundi magistratis et de arbitrio a partibus sumto accipienda sunt.

§. XII.

At vero ne mea sententia hoc solo argumento niti videatur, sumam hac in lege iudicis verbo magistratum non insigniri. Nec tamen ulla ratione adduci possum, ut credam illam legem de iudicibus et arbitris in bona fide strictique iuris iudicio datis egisse. Quamvis enim non negem, in XII. tabularum legibus arbitros datos commemorari, velut in familiae erciscundae atque in finium regundorum iudicio, ibidem tamen nec vola nec vestigium iudicum in stricti iuris arbitrorumque in caeteris bonae fidei iudicis datorum extat. Quod discrimen illi aetati vix notum, neque alium eo tempore de facto, alium de iure cognosse, sed utrumque officium magistratus, (nisi forte etiam eius, cui ille in minoribus causis iurisdictionem mandasset,) fuisse iam diximus. Itaque legis de familia erciscunda deque finibus regundis, nisi fallor,

C 3

haec

^{d)} v. Festum in voce Praetor et Livium L. III. c. 55.

haec mens fuit, ut utraque causa non iudicio magistratus, quoniam contra officium esse videbatur, vicinos et heredes, qui agnatis vel fratribus illo tempore similes habebantur, ad iudicem causam agere et litigare, sed ut arbitriis regerentur, et nisi partes privatim arbitros elegissent, seu deessent forte, qui arbitrium recipere vellent, vel a magistratu darentur, qui partes reconciliarent, vel sumti, nec legitime excusat, a magistratu ad illud recipiendum cogerentur. Diserte Livius magistratum i. e. Consulem scribit causam cognovisse et secundum parentis arbitrium ius nuptiarum dedisse. e) Eadem alio loco f) Decemviri domi iudicia i. e. sententias seu decreta conflasse ac deinde in foro pronuntiasse dicuntur. Quodsi vero ipsi et cognoverunt et sententiam in quacunque causa pronuntiarunt, sane non iudicibus arbitrisve usi sunt, quos demum, consulum collegae, Praetores dederunt. Nec mirum est, ante institutam Praeturam Consules et extraordinarios magistratus, quibus potestas iuris dicundi loco Consulum obvenisset, de omnibus rebus ipsos iudicasse. Neque enim tanta mole et multitudine negotiorum iudicialium, nondum auctis in immensum divitiis, cum quibus litium etiam numerus crescere solet, nec peregrinis undique affluentibus, magistratus obruebantur. Ne dicam, bene multas contentiones et negotia, quae usi et successu temporis ad Praetorem delatae sunt, ex moribus antiquis iudicio domestico subfuisse. Itaque dandis iudicibus, qui de facto cognoscerent et ex formula iudicarent, haud opus fuisse, sed arbitrorum in XII. tabulis mentio maxime ad honorarios arbitros referenda videtur. Est etiam tacita arbitrorum in XII. tabulis memoria, cum ibi in tabula I. legitur: endo via uti paicunt, orato. Quae verba apud auctorem ad Herennium mendose scribuntur: g) rem ubi pagunt; ubi quidem ille addit pacta esse, quae legibus servanda sint, nempe quae Praetor rata habeat, id quod sibi velle videtur Orato, quod Iac. Godofredus pro ratato i. e. ratum habeto, positum esse dicit, h) Igitur ad haec pacta, quae magistratus

e) L. IV. c. 9.
f) L. III. c. 36.

g) L. II. c. XIII.
h) in Notis ad Tabulum I.

tus rata habeat, compromissum quoque in arbitrum refero, putoque non tantum, si partes ante transegerant, quam in ius venissent, verum etiam si in arbitrum compromiserant, id a iudice ita ratum habendum fuisse, ac si ante ius aditum adhibitis domi amicis causae notionem atque arbitrium detulissent.

§. XIII.

Deinde, latis XII tabularum legibus, arbitrorum, si quid iudico, usum et formularii iuris solemnis et iudiciorum merus longe frequentiorem reddidit. Cum enim nemo lege agere posset, nisi formulam, qua agere vellat, a patriciis, seu horum forensi regno everso a formulario aliquo iure consulto petiisset, ⁱ⁾ et saepe accideret, ut rei causa propterea caderent, quod legitimorum verborum cantile, jam non rite cecinissent, id vero admodum molestum atque iniquum videretur; non dubium est, quin cives cordatores saepe maluerint eam iudicandi viam eligere, qua formulis soluti causam libere perorarent nec ullis omnino tricis et laqueis male impedirentur. Accessit, quod in stricti iuris iudicio nihil, nisi quod lingua nuncupatum diserteque promissum datumve esset, adiudicabatur, nec satis partium voluntatis in conventione ineunda ratio habebatur: quam saepe boni viri iuris civilis subtilitatem reprehenderunt et lites suas iure gentium finiri maluerunt. Aliud enim, ut Cicero ait, ^{k)} erat ius civile, aliud ius gentium. Quod civile est, non idem continuo gentium est aut naturali etiam aequitati optime convenit. Igitur iusta et gravis est eiusdem Ciceronis querela: nos veri iuris (naturalis scilicet et divini) germanaeque iustitiae solidam et expressam effigiem nullam tenemus: umbra et imaginibus utimur. Si qui ergo tur aut se aut amicum rugis et formularum fraudibus circumveniri nolebant, profecto iis facilior negotii componendi via non patuit, quam qua tota res ad arbitrium boni viri, in quem consenserint, deferretur. Quod si fiebat, solitus ille formularum vinculis poterat

ⁱ⁾ Cic. pro Mur. c. XI. et Gellius Noct. Att. L. IV. c. 9.
^{k)} Offic. L. III. c. XVII.

poterat consensu partium ad naturalem aequitatem omnia moderari: quanquam, si haec lex arbitrii non convenisset, utique eadem leges ab arbitrio compromissario, ex quibus iudex causam diremurus fuisset, observari debebant. Nec dubito, quin electis privatim arbitris improborum Praetorum potestas saepe elusa sit, qui eo tempore, quo ex perpetuis, id est, annuis suis edictis ius dicere nondum iussi essent vel odio vel gratia personarum edicta extra ordinem componebant.

§. XIV.

Boni vero Praetores hanc arbitrii rationem, qua iudicia minuebantur, propositis edictis et iuverunt et frequentiorem reddiderunt. Scilicet arbitris saepissime nec tantum inter cognatos atque affines sumtis, crebro accidisse videntur, ut vel is, qui arbitrium receperisset, conaretur officium suum in alium transferre, vel partes eius sententiae haud parerent. Inde non fieri non potuit, quin interdum arbitria in agentium inimicos propagarentur, et causae compromittentium secreta que familiae proderentur. Cui malo ut obviā iretur, Praetor proposuit edictum his verbis: Qui arbitrium pecunia compromissa receperit, eum sententiam dicere cogam ¹⁾). Eius edicti aequitatem maximopere commendat Ulpianus ^{m)}. Videntur autem in eo inesse duo iuris honorarii capita, alterum tacite et argumento contrariae rationis, ut nulla ob arbitrium receptum actio contra recipientem daretur, nisi partes de poena solvenda, si vel actor vel reus sententiae non pareret, convenienter, adeo que ad sententiam incassum ferendam ne cogerentur; ⁿ⁾ alterum verbis expressis: ut si is qui arbitrium receperisset, vel se celare tentaret, vel officio in se recepto fungi sententiamque ferre nollet, a Praetore investigaretur ^{o)} et pignoribus captis ac multa ad sententiam dicendam adigeretur. ^{p)} Quanquam

¹⁾ L. 3. §. 2. L. 15. ff. de receptis. cf. quoque L. 11. §. 2. eod. et omnino Noodt. in Comment. ad h. tit. et Ant. Faber. in Rational. ad l. laudi.

^{m)} L. 3. §. 1. eod.

ⁿ⁾ L. 2. §. 1. sq. ff. de receptis.

^{o)} L. 32. §. 12. ff. eod.

^{p)} L. 3. §. 3. et L. 4. ff. eod. ibique Noodt.

vis enim "arbitrium" recipere res libera et soluta esset et extra iurisdictionem posita ^{q)} si quis tamen arbitrium receperat, nec sententiam dicebat, iniquum Praetori videbatur, eum, cuius fidei partes omnia divina et humana committere, amicos suos turpiter fallere, neque, quid sibi videretur, pronuntiare. Neque fieri hoc potuit absque partium iniuria, cum arbiter nequam causam et arcana domus ipsi revelata, seu ut Ulpianus ait, ^{r)} nudata utriusque intima et secreta negotii aperta aliis prodere arque adeo perfide agere posset, ut vel maximum inde incommodum et detrimentum sentiretur ^{s)}. Illa vero edicti causa mihi omnium potissima fuisse videtur, quam Ulpianus assert: Praetor, inquiens, ad sollicitudinem suam hanc rem pertinere putat, quod studet lites quam citissime finiri. Nam nulla re magis se commendabat compromissum in arbitrum, quam quod pro partium voluntate agendi modus poterat constitui, nec arbitrii in causa cognoscenda, absoluta iuris necessitate, iudiciorum solennitatibus adstricti erant. Quodsi vero arbiter ad item brevius componendam sumtus, vel gratiae dans, vel sordibus, ut Ulpianus ait, ^{t)} corruptus causam differret, tamque longius, quam partibus placuerit, protraheret, antequam Praetor de arbitriis receptis edixerat, nec eum compromittentes privata auctoritate ad sententiam ferendam cogere poterant, nec actio erat prodita, qua adversus eum experirentur. Cum tamen reipublicae maxime interesset, lites, quam primum id fieri posset, finiri, ^{u)} nec differendarum litium, sed tollendarum causa, ut bene monuit Celsus, ^{x)} ad arbitros iretur, ideo Praetor hanc rem ad sollicitudinem suam revocavit et se arbitrum ad sententiam ex compromisso ferendam coacturum esse edixit. Caeterum quod poenam in Edicto commemoratam attinet, sine dubio Praetor compromittentium morem secutus est, qui usu rerum edicti difficilem eius, quod interfit, probationem esse, solebant certam pecuniam, vel

^{q)} L. 3. §. 1 ff. eod.

^{r)} L. 3. §. 1 ff. de receptis.

^{s)} L. 3. §. 1. seq. eod.

^{t)} L. 3. §. 1. ff. eod.

^{u)} L. 22. ff. de reb. cred. et l. 20. C. de agric. et cens.

^{x)} L. 37 P. de receptis

aliam

aliam rem stipulari a promissore solvendam, si fidem non liberasset. Quae ratio cum latius pateret, quam edicti verba, id solum intendente Praetore, ut metu poenae ab utroque litigatore compromissarii arbitrii sententiae pareretur, y) nec ad hanc ferendam arbitrum coacturo, si ob stipulationis inutilis vanitatem agentium non interesse videatur; recte commentati sunt I. Cti, etiam in incertam poenam, ut puta quanti ea res futura sit, z) compromissum esset, quin, si partes simpliciter sententiae stare promisissent, a) quoniam in utraque specie incerti adversus non parentem actio erat, Praetores arbitrum sententiam dicere coacturum. Quaesitum etiam, utrum nudo pacto compromitti posset, an stipulatio semper et necessaria ratione intervenire deberet? Quem enim fugit, iure civili pactum nudum non obligasse, iure praetorio tantum ad exceptionem profuisse? Itaque subtiliter Ulpianus distinguit, b) num litigator pacti exceptione tuis sit, cum vel certa poena vel obtemperatio sententiae ab arbitro latae promissa est: ut puta si ambo debitores fuerunt et pacti sunt, ne petat, quod sibi debetur, qui sententiae arbitrii non parvit; an actione opus sit ad consequendum poenam vel id, quod interest, alterum sententiae non paruisse? Hoc enim in casu usque ad Justiniani tempora sola stipulatio profuit; illo altero etiam nudum pactum. Sed mittimus has et alias I. Ctorum disputationes de vi compromissi et ex quibus causis illud vel ab initio non valeat, vel deinde solvatur, quibus quidem titulus Digestorum de receiptis plenus est, quem nos integrum explicare atque interpretari non recepimus c). Id magis ad rem nostram pertinere viderur, sciscitari de tempore, quo primum Praetor hoc editum de arbitris proposuerit. Antiquissimum id esse, ante fortassis, quam Praetores anno ab v. c. DCLXXXVI. ex edictis suis perpetuis ius dicere lege Cornelii iussi sunt, extra ordinem iam propositum, deinde in perpetua illa seu annua translatum, neque unquam omissum, nemmo temere negaverit, atque ipsa rei necessitas Edictique ratio et ad priscos

y) v. Noodt. I. laud.

z) L. 28. ff. de arb. rec.

a) L. 27. §. 7. eod.

b) l. 4. §. 3. et l. 13. §. 1. ff. de rec. arb.

c) v. omnino Noodt. in Comment. ad

h. tir. et de arbitrorum personis Cuiac.

Obf. XII. §. 3.

priscos populi mores attemperatio eruditioribus facile fidem faciat. Annum tamen et nomen Praetoris, qui primus adversus arbitrum actionem dederit seque daturum esse edixerit, etiam doctissimi viri designare non ausint.

§. XV.

Quemadmodum vero compromissa in arbitros temporibus liberar e republicae magis, quam antea, ut ex tot exemplis in illius aetatis auctoribus obviis appareat, d) usurpata videntur: ita eadem finienda rum litium ratio sub Imperatoribus perduravit. Lex quidem Iulia iudicaria, si quis iudex esset, eundem arbitrium recipere eius rei, de qua iudex sit, inue se compromitti iubere prohibuit. e) Quare, si tanquam arbiter sententiam dixerat, poenae persecutio non dabatur. Sed et plura eiusdem Iuliae legis capita, quamvis nominatim de iudicibus et iudiciis agant, ad arbitros eorumque officium ob rationis similitudinem transtulerunt, et ad Edicta de arbitris capita diligenter commentati sunt iureconsulti. Cum lege Iulia, nempe privatorum iudiciorum, ut bene Brifonius observat, f) cautum sit: ne minor XX annis iudicare cogatur, Callistratus minorem XX. annis non magis iudicem compromissarium eligi, g) nec, si electus sit, a Praetore ad sententiam ferendam cogi posse, neque poenam ex eius arbitrio ullo modo committi argumentatus est h). Pariter quae, Gellio teste, i) lex Iulia de rerum diffusionibus, compendiationibus et de aliis legitimis rebus statuerat, prudentes auctoritate sua ad arbitros produxerunt. Ad eandem enim legem Ulpiani verba referenda videntur: k) si feriatis diebus fuerit iudicatum, lege cautum est, ne his diebus iudicium sit, nisi ex voluntate partium: et quod alter adversus ea iudicatum erit, ne quis iudicatum facere, neve solvere debeat: neve quis, ad quem de ea re

D 2 adi-

d) Liv. L. IV. c. 9. Cic. pro Quint. c. V. et XI. Terent. Heaut. Ill. 92. Cic. in Offie. L. I. c. 9. Arbitrium Q. Mucii Augures in causa finium regundorum inter Gennates et Veturius extat apud Gru ter. Inscript. p. II.

e) L. 9. § 2. de rec. arb.

f) Sel. Antiquit. L. IV. c. VIII.

g) L. 41. P. de rec. arb. cf. Sueton. in Aug. c. 32. ubi vulgo legitur: Augustum a tricesimo aetatis anno judices adlegisse. Sed iam Cuiaciū monuit legendū esse vicesimo, quem v. in Observ. L. XII. 32.

k) cf. omnino Ant. Faber. in Rational.

i) Noct. Att. L. XIV. c. II.

k) L. 6. D. de fer. et dilat. cf. l. 1. §. a. eod.

aditum erit, iudicatum facere cogat. Quae quidem verba conjungi debent tanquam optimum interpretationis adiumentum cum eiusdem Ulpiani doctrina de arbitri sententia feriatis diebus lata. Etenim, ut ait ille,¹⁾ arbiter ex compromisso his diebus non cogetur sententiam dicere, quibus iudex non cogitur, nisi dies compromissi exitura sit, nec proferri possit: quo casu si feriatis diebus cogente Praetore arbiter sententiam dicat et peritur ex compromisso poena, exceptionem locum non habere constat; nisi alia lege eadem dies feriata, in qua sententia dicta, est excepta. Nec minus id cum Iuliae legis dispositione convenit, quod Paulus scribit:²⁾ si compromissum sine die factum est, necesse est arbitrio omni modo dies statuere, partibus scilicet consentientibus, et ita causam disceptari; quod si hoc praetermisserit, omni tempore cogendum est sententiam dicere. Generatim, quae de die arbitrii proferenda,³⁾ n) de vetita eius propagatione in aliis arbitrum,⁴⁾ o) de sententia coram litigatoribus praesentibus dicenda,⁵⁾ p) de sacerdotio⁶⁾ aliisque causis arbitrum excusandi, ne cogi possit,⁷⁾ r) a veteris iuris auctoribus in Pandectis disputata sunt, maximam partem ad iudicarias leges applicata: quae vero de officio arbitri ex compromisso, ne fines eius egrediatur,⁸⁾ f) de compromisso pleno, cui adiectum, si quid dolo in ea re factum sit, de doli exceptione vel actione⁹⁾ iidem Icti responderunt, ex formulario iure petita sunt. Quod de liberali causa arbiter non potui sententiam dicere, cum de statu hominum deberent maiores iudices iudicare,¹⁰⁾ nescio an recte antiquissimo populi Romani instituto atque ipsi legi decemvirali adscribam. Unde hoc sane profectum est, ut de delictis famosis arbitrium non valeret.¹¹⁾ Non enim privata transactione ius publicum mutari poterat atque immisui. Itaque non ex omnibus causis, ex quibus arbitri sententiae patritum

f) L. 13. §. 3. iuncta l. 36. ff. de rec. arb.

q) L. 32. §. 4. ff. eod.

2n) L. 14. P. de rec. arb.

r) L. 9. IO. II. 15. 16. 17. 30. ff. eod.

n) L. 32. §. 21. l. 33. l. 39. §. 1. et l. 50. P. eod.

f) L. 32. §. 15. ff. eod.

o) L. 32. §. 16. 17. ff. eod.

t) L. 21. et 32. ff. eod.

p) L. 27. §. 4. ff. eod.

u) L. 32. §. 6. ff. eod.

x) L. 32. §. 7. ff. eod.

ritum non esset, poena ex compromisso committebatur, sed ex his
dum xat, que ad solutionem pecuniae aut operam praestandam
pertinerent. ^{g)}

§. XVI.

Ipsi etiam imperatores de arbitriis constituerunt, sed ante Iustini-
nianum nihil, quod sciam, admodum novi. Nam quod divi Pii
rescripto adiectum esse Ulpianus ^{z)} commemorat, vel minus probabi-
lem (arbitri) sententiam aequo animo ferre debere litigatorem, ve-
teri iuri omnino convenit. Memorabilis in primis constitutio Antoni-
ni, qui, cum quidam arbiter ex aliis causis inimicus manifesto appa-
ruisset, testationibus etiam conuentus, ne sententiam diceret, nullo
minus nullo cogente dicere perseverasset, libello cuiusdam id que-
rentis subscriptis, posse eum uti doli mali exceptione, et cum a iudice
consuleretur, apud quem poena petebatur, rescripsit: etiam si appellari
non posset, doli mali exceptionem in poenae petitione obstaturam ^{a)}.
Per quam exceptionem Paullus ait quandam appellandi speciem esse,
cum a sententia arbitri iure civili Anteiusustiniano iudex vere appellari
non possit, nec ex Iustiniani legibus provocatio admittatur, nisi in
una specie, quam infra excutiemus. Nam in caeteris, cum senten-
tia ob dolum non retractatur, arbitrio aut parendum est, aut poena
solvenda: qua soluta, neque sic compromissi, ut stipulatio plus semel
seu, ut Paullus ait, in singulas causas toties committatur, ^{b)} licet apud
iudicem agere, quasi arbiter nunquam electus aut nulla ab eo dicta
sententia eset. Rescriptum Antonini, cuius ex Paullo meminimus,
pars eius constitutionis videatur, quam Iustinianus in codicem repeti-
tiae praelectionis, titulo de arbitris, ^{c)} retulit. Etiam Diocletianus
et Maximianus de doli mali exceptione et clausula compromissis ad-
iici solita, qua promissor uti potest, si fordes vel evidens gratia arbit-
rantium intercessissent, ne poena non obtemperantis sententiae ab ar-
bitro latae commissa videatur, rescriperunt. ^{d)} Inter Iudeos et
Christianos in primis, praetorum et praesidum ethnicorum tribunalia

non

^{g)} L. 39. ff. de receptis.

^{b)} L. 30. et 40. D. eod.

^{z)} L. 27. D. eod.

^{c)} L. I. C. d. tit.

^{e)} L. 32. §. 14. D. eod.

^{d)} L. 3. C. eod.

non sine causa metuentes, usus arbitrorum frequentissimus fuit, quem mutata sacrorum ratione principes Christiani novis etiam legibus confirmarunt et studio episcoporum auxerunt atque amplificarunt. Maxime quidem in ecclesiasticis rebus ad religionemque pertinentibus haec arbitria placuerunt, sed in civilibus etiam negotiis saepe est apud arbitros et a Iudeis quidem apud Iudeos et patriarchas, a Christianis frequentissime apud episcopos litigatum. Iudeis hanc facultatem Arcadius singulari lege servavit, e) iussit que sententias ex eorum compromisso ab arbitris dictas iudices exequi, (id est, poenae commissae vel incerti actionem ex stipulatu dare,) tanquam ex sententia cognitoris arbitri dati fuissent. Adversus Christianos tamen arbitrii Patriarchalis usu eos prohibuit Theodosius iunior, voluit que illorum cum Christianis controversias ab ordinariis iudicibus iudicari. f) Quae de arbitris Christianorum et episcopali audientia ad Iustinianum usque Imp. constituta sunt, nuper ex utroque codice diligentissime collegit doctissimeque interpretatus est vir clarissimus Henricus Michael Hebenstreit. g) Cui liceat ea sublegere, quae pertinent ad rem nostram. Igitur Constantinus M. auctore Sozomeno h) adeundi ex compromisso episcopos Christianis omnibus publice potestatem fecit, voluit que, ut arbitria episcoporum valerent, si poena non obtemperantis vel id, quod interesset, apud iudices peteretur. A quo tempore nobilitari coepit ac frequentissime experti episcopalis audientia, non aliter tamen, nisi utriusque litigatoris consensu. Nam si vera et genuina Constantini M. lex esset, quam a Sirmundo editam Gothofredus Codici Theodosiano non sine sublestae fidei nota subiunxit atque sub titulo de episcopali iudicio posuit, i) ea certe sic explicanda foret, ut solam conciliationem partium, altero litigatore petente, quamvis invito altero,

e) I. 8. C. de Iudeis et caelicolis, quae est I. 10. C. Th. de Iudeis.

f) de Patriarchalibus Iudeorum iudiciis praeter Vitringam de Synagoge Vet. et Iacob. Gothofred. in Comment. ad l. I., C. Th. de Iudeis v. etiam Strauch. Inst. Iuris publici.

g) Historia Iurisdictionis ecclesiasticae ex legibus utriusque Codicis illustrata disputatione II.

h) Hist. eccles. lib. I. cap. IX.

i) vid. praeter Gothofred. Hebenstreit. I. I. §. XIV.

altero, episcopis commendata videretur, pendente interim causa apud iudicem, apud quem coepit sit lis, neque ulla litigatorem episcopali sententiae non paritum poena mansura. Nam longo tempore post Arcadius et Honorius nullum in ciuilibus negotiis episcoporum arbitrium, nisi ex compromisso partium, esse, et religiosas duntaxat controversias singulari ecclesiae iure ad illorum iudicium pertinere constituerunt. *k)* Intra hos limites per sequentium etiam Imperatorum leges episcoporum notio sterit. Vnum hoc innovavit Majorianus, *l)* vt nudo, etiam pacto sine stipulationis vinculo episcopale auditoria a Clericis valide adiretur: id quod verba veteris interpres Novellae XII. Valentiniiani III. subiecta demonstrant. Sed hac lege sic usq; videtur religio temporum, vt, quantam nuda pactio apud Clericos vim haberet, tantam quoque iuratae Laicorum promissioni ad sustinendas arbitrorum sententias a iudicibus tribui vellet. Itaque moribus magis, quam lege adhiberi coepit nouus modus obligationem sine stipulatione promittentium confirmandi iure iurando, cuius religione sumtorum arbitrorum sententiis standum esset, et, qui fidem ultiro non liberaret, a iudicibus cogeretur: de quibus ad arbitros euntium sacramentis expressa mentio est in legibus Iustiniani.

§. XVII.

Nam cum ea religio nulla lege adstricta a perfidis hominibus passim violaretur, primus Iustinianus scripta generali lege *m)* rem solis ventium moribus ortam, quae iudiciorum auctoritate nondum satis confirmata fuisset, ad iuris necessitatem redigit. Sanxit enim, siue ipsi litigatores cum arbitro iurassent: quippe arbiter, se ex animi sui sententia vere iudicaturum; litigatores autem, se arbitrio parituros; siue solus etiam arbiter ad voluntatem partium eo sacramento se obstrinxisset; siue denique litigatores arbitrum etiam non iurantem ex suo iure iurando adiissent, id est, alter alteri de obseruanda sententia iurato cauisset, ea que res vel instrumento siue a partibus siue per

publi-

k) L. 7. et 8. c. de episcopali audientia l. 1. C. Th. de religione.

l) Nou. 2.

m) L. 4. C. de receptis arbitriis.

publicas personas scripto, vel partium in actis arbitri vel posthac etiam apud ipsum iudicem, ob executionem sententiae ab arbitro dictae aditum, censentiente professione demonstraretur, sanxit, inquam, Iustinianus, vt in his omnibus exemplis arbitrium sine compromisso valeret, et ex arbitrorum sententia actio in rem utilis, vel actio in factum, vel condicō ex noua hac lege, nempe IV. C. de receptis arbitriis, competere: omni adeo electione parendi sententiae, aut eius quod interefset, soluendi omnino sublata. Mox tamen ipse Iustinianus hanc totam de vi iuris iurandi in arbitriis legem, expertus eam multis modis tam animis, quam bonis litigatorum officere, iterum abrogavit, atque compromissi necessitate denuo confirmata vsum praetorii iuris plane restituit.

§. XVIII.

Verum hoc etiam noui iuris promulgauit Iustinianus, vt, etiam si nec constipulatio poenalis, nec cautio iuris iurandi esset adhibita, si tamen partes sententiam arbitrii nudorum verborum, quibus assensum suum declararent, subscriptione facerent ratam, *v)* vel eam silentio suo, scilicet intra decem dies proximos attestatione, per quam ab ea recedi manifestum fieret, neque iudici neque aduersario ab alterutra parte missa, roborarent, *p)* potea non reo duntaxat exceptio pacti, sed actori etiam actio in factum, seu ex lege condicō ad consequendum id, quod ex compromissarii iudicis sententia aduersarius ipsi debet, concederetur. Ex priore lege non neminem memini deducere velle, Iustinianum omne ius ciuale antiquum, quo pacta nuda nullam actionem producunt, funditus euertisse. Quod tamen non ita est, cum exceptio vnius speciei regulam in caetatis firmet, non tollat. Caeterum hanc de arbitriis subsecuto consensu partium confirmatis legem ipsum Iustinianum iterum abrogasse non constat: quamquam utraque, nempe tam penultima, quam IV. C. de receptis arbitriis in Basilicis abest: quare omnes arbitrii, quos partes nulla constipulatione poenali, id est, nulla compromissa pecunia sumserint, ante Basilicorum confectionem Cuiacio *q)* videntur denuo improbat.

§. XIX.

v) L. 4. §. 6. C. eod.

p) L. 5. C. eod.

§. XIX.

Praeter ea disputationem veterum iure consultorum, in primis Iulii Paulli, vtrum dies actionis, re interim apud arbitrum ventilata, exiret, eadem lege, qua de tacita sententiae ab arbitro dictae ratificatione egit, r) Iustinianus ita finiuit, vt quod illi tantum in quibusdam actionibus temporalibus aequum et iustum esse existimauerant, hic ad perpetuas etiam omnino produceret, statueret que conuentum in scriptis apud compromissarium iudicem factum ita usucacionem vel praecriptionem interrumpere, ac si in ordinario iudicio lis fuisset inchoata: cui etiam hoc addidit, vt facti confessionibus atque attestacionibus coram arbitro, etiam finito compromisso, litigatores apud iudicem ordinarium vti possent. Id quod tamen non magis nouum putamus, quam argumentum alterius constitutionis eodem anno post Christum natum DXX. a Iustiniano editae, qua per feminas arbitria recipere vetuit, et litigatorum in eas compromissa pronunciauit invalida. Quis enim neficit, feminas antiquissimo populi Romani more ab omnibus publicis et ciuilibus officiis removeri. Longe memorabilior est illa sanctio, /) qua idem Imperator eodem anno in locum recusati iudicis siue ab imperiali maiestate siue ab alio culmine delegati arbitrum arbitros ue intra triduum eligi, ad hanc electionem partes compelli, haec vero si in persona arbitri non consentiant, electionis controversoniam a praeside provinciae eoue absente a defensore ciuitatis aut magistratu municipali, cui recusatio delegati secundum eam legem denunciata sit, dirimi, deinde arbitri sic electi arbitrorum ue per hanc necessitatem electorum sententiam non aliter, ac dati vel delegati iudicis, executioni mandari iussi, nisi tamen ab ea sententia fuerit prouocatum: ipso tunc, qui reiectum iudicem antea dederit, appellationis atque deuolutae caussae iudicium habituro. En singularem speciem, in qua appellationi ab arbitrio iure Iustianeo datus est locus, sed partibus etiam contra iuris ordinari rationem ad eligendum arbitrum arbitros ve compulsi.

q) Paratit L Cod. lib. II. tit. LV. r) L. 5. §. 1. C. de rec. arb. /) L. 16. et 18. C. eod.

LXXXV HUMANISSIMO ET DOCTISSIMO

DISPV TATIONIS AVCTORI


P R A E S E S

Reddo TIBI libellum TVVM magna cum voluptate a me perfectum. Insunt, fateor, multa de quibus mibi TE cum non conuexit. Nam us de origine diversitatibus bonae fidei stricti que iuris negotiorum, ad quam diversum iudicium atque arbitrorum datorum ratio refertur, ego quidem alia omnia sentio eam que duodecim tabulis longe antiquorem duco, sic pariter in caeteris TVAE disputationis capitibus hic illic haes, nec potui omnem dubitationem animo meo excutere. Sed cum nihil conieceris, quod cum legibus ipsis et idoneorum auctorum testimonis omnino pugnaret, in tota autem arguimenti tractatione ostenderis eximiam ingenii vim insignem que iudicii subtilitatem, nibil meo studio delendum aut mutandum censeo, sive que libellum integrum ad dominum atque auctorem suum, a quo ille societatem nostram suae defensionis facturus ad me venit, cum nuncio acceptae conditionis redire, hac sola professione contentus, TVAS in eo sententias expromi, non meas, ne mihi ipse forte aliquando contradicere videar, et ut plane cognoscant lectores ingenii TVI excellentiam doctrinam que mirabiliter diligentia partam, utique nostrum publice profutura. Caeterum banc TVAM eruditissimum atque has ingenii TVI tam bene succrescentes primitias ex animo TIBI congratulor, et ut industriae TVAE bonis litteris iuris que prudentiae tam praeclare nauatae uberrimos longam per vitam copias fructus, nec meritos in re publica honores expectes diu, Deum immortalem precor. Vale, VIR DOCTISSIME, nostraeque amicitiae summa TVA in scholis meis diligentia nuper conciliatae etiam post discessum ex academia memor viue! Scr. Lips. non. April. an. CCCCCCLXXVII.

ULB Halle
005 377 420

3





DE ARBITRIS HONORARIIS
AD HISTORIAM IVRIS CIVILIS
ILLVSTRANDAM DISSERTATIO

ILLVSTRIS I. CTORUM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

D. IOHANNE THEOPHILO SEGERO

EIVSDEM ORDINIS ET SVPREMAE IN PROVINCIA CVRIAE
ASSESSORE ATQVE ANTECESSORE

AD DISCEPTANDVM PROPOSITA

AB AVCTORE

GODOFREDO LEBERECHT DIETZE

MILDENAV. MISNICO

A. D. XIV. APRIL. A. C. N. CICICLXXXVII

L I P S I A E

EX OFFICINA BVSCHELIA.

